Hiſtoria Ænigmatica, *de gemellis Genoæ connatis*, *Anno ſalutis noſtræ*, MDCXX°. in unum coaleſcentibus, quorum major *Lazaz*, minor *Joh. Baptiſta*, ad ſacrum Fontem nominati; vivis hodie, & mercede Londini monſtratis An. MDCXXXVII.



Printed for Robert Milbourne at the Vnicorne neare Fleet bridge.

ECce duos fratres, unum ſimul, atque gemellos.
Ecce biceps animal, quadrimanúmque, tribos.
En geminos fratres quibus unum Corpus, at unum
Cor, vel mens illis, quis ſcit an una fiet?
Monſtrum horrendum, informe infans cui lumen ademptũ,
Seu mens lucis inops, ſeu caro mente carens.
Os habet haud loquitur neq; veſcitur, aut bibit unquam,
Cernitur haud cernit, paſcitur haud comedit.
Haud caput, haud oculi, neque dentes, lingua, nec aures,
Officium faciunt, pésve manúſve ſuum;
Fratris onus perpes, perpes quoque fratris alumnus,
Infans perpetuum, perpetuuſque puer:
Frater idem Soſia & ſocius, noctéſque diéſque,
Bajulus aſsiduus, accubuúſque comes.
Frater idem, Mater, Nutrixq; tenella, puellum
Ventre ſuo geſtans, ventre fovénsque ſuo,
A fratris vita, ſtat fratris vita, ſalúſque,
Fratre dolente dolet, Fratre valente valet.
Mirus amor fratrum, fratrum quoque gratia rara,
Cui gens aut ætas vix tulit ulla Parem.
Spectatum admiſsi duplices ad ſydera palmas
Tendere, mirari, quærere, quid ſibi vult?

Solutio Ænigmatum.

QVid tibi portentum portendat, quid tibi prodat
Prodigium, monſtrum quid tibi monſtret, habe.
En clarum Cleri, Populique Emblema Latini,
En Latium Monſtrum monſtrat utrumque tibi,
Monſtrum infans populus, fidei cui lumen ademptum,
Clerus luce carens, Relligionis inops.
Par cæcum, ſtultum, miſerum, plebs, clerus, uterque
Per cæcam vivens, implicitámque fidem.
Ecce tibi caput & ratio queis nil ſapere audes,
Nec munus præſtant mens oculive ſuum.
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſinat alter,
Credere nil, niſi quod credere Papa jubet;
Si negat ille negas, quod is ait, id ais & ejus
In verbum juras ſufficit αὐτὸς ἔφα
A Papa pendet tua vita, fidéſque ſalúſque,
Papa errante erras, & pereunte peris.
Oh miſeram ſortem, cæcos Comitéſque ducéſque,
Quid vetat in barathrum quin ſimul ambo ruant?

Londini, Excudebat *M. P.* pro *Ro: Milbourne.*